THESES

quas

Divina affulgente gratia,

et

Max. Ven. Cons. Ecclesiastico consentiente,

Miti bonæque censuræ

deferet

JOH. MAGNUS EUSTRÖM,

V. D. M.

Die XXII Octob. MDCCCXXXI.

Londini Gothorum MDCCCXXXI,

Typis BERLINGIANIS.

Thesis I.

In versiculo 6 Cap. III. Epistolæ Pauli ad Ephesios non sunt, ut quidam voluerunt Exegetæ, vocabula συγκληρονομα και συςςωμα a vocabulo της επαγγελιας segreganda. Ad sententiam Apostoli exprimendam æque hæc vocabula cum voce επαγγελια ac συμμετοχα cohærent.

Th. II.

Ad ordinem Grammaticalem quod attinet, nullo est impedimento constructio loco citato.

Th. III.

Si verum respicimus verborum connexum, nihil impedit, quominus etiam Ethnicis μετοχειαν της επαγγελιας concedamus.

Th. IV.

Unde etiam colligitur Apostolum tantummodo in verbis jam dictis formulam Rhetoricam secutum esse.

Th. V.

Quænam adjumenta Theologiæ Morali afferant verba Paulina, ex loco perdilecto satis patet.

Th. VI.

Si hæc explicatio accipitur, non difficile erit explicatu principium Theologico-philosophicum quod laudant.

Th. VII.

Religiositas enim, cui maxime debet natura humana, naturæ Divinæ involvitur.

I. N. J.

THESES

quas

Divina assistente gratia,

et

Max. Ven. Cons. Ecclesiastico adsentiente

miti bonorum censuræ

offert

NICOLAUS PETRUS MÜLLER,

V. D. M.

Die XII Nov. MDCCCXXXI.

LONDINI GOTHORUM,
Typis Berlingianis.
MDCCCXXXI.

Thesis I.

Exempla non desunt, Græcos Pronomen Relativum loco Interrogativi usurpasse. Etiam apud Matthæum Cap. 26—50 invenimus tale exemplum, ubi occurrunt hæc verba: εταιρε, εφ ο παρει; quæ recte dabuntur per: quid est, quod adsis?

Th. II.

Verba Johannis Cap. 14—7. και απ αρτι γινωσκετε αυτον και εωρακατε αυτον — non bene a celeberrimo Kuinœl dantur: eum mox accuratius cognoscetis, et quasi oculis videbitis; quoniam vix exemplis illustrari potest Tempus Præsens conjunctum cum Perfecto in significationem Futuri transire. Quare melior forsan habenda est hæc explicatio: inde ab hoc tempore melius illum cognoscitis et illum vidistis.

Th. III.

In N. T. haud raro loca invenimus, ubi Auctores sacri ab oratione indirecta in directam mox transgredi-

untur. Inter illustriora exempla afferantur verba Lucæ Cap. 5—14. *και αυτος παρηγγειλεν αυτω μηδενι ειπειν. αλλα απελθων δειξον σεαυτον τω ιερει* &c. Vulgo hunc locum per *Ανακολουθον* explicarunt, sed melius forsan per ingenium et vivacitatem loquentis explicabitur. Idem Auctor in Actis Apostolorum eadem utitur constructione verborum. Act. 23—22. comp. 23 et 24 Act. 1—4.

Th. IV.

Verba Paulina Epistolæ ad Romanos Cap. 8—23. *απολυτρωσιν του σωματος ημων* recte, me judice, explicantur per apposita ad vocabula antecedentia *υοθεσιαν απεκδεχομενοι*.

Th. V.

Quamvis moralitas hominis neque ex indole ingenii neque ex educatione pendeat, utraque tamen magnam vim in eam exercet.

B. c. D.

THESES MISCELLANEÆ

quas

affulgente Divina Gratia

suffragante Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

Pro Examine Pastorali subeundo

Bonorum censuræ modeste offert

JOH. H. W. JULIUS,

V. D. M.

Die XXIII Maji MDCCCXXXII.

LONDINI GOTHORUM,

Typis BERLINGIANIS.

MDCCCXXXII.

Thesis I.

In Sacris Litteris lingua nostra vernacula reddendis a sensu litterali sæpissime quidem recedendum, non vero eo nomine, ut hic sensus omnino deperdatur, sed quantum fieri possit servetur vel designetur. Quibus positis versio vetus nostra Svecana verborum Davidis in Ps:mo XVI v. 2:do טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ, ita sonans: "Jag måste för tina skull lida;" nimis longe a sensu S. Auctoris discrepans nobis videtur. Sensui vero ejus propior hæc mihi videtur interpretatio: *Mitt högsta goda är Du.*

Th. II.

Vocabulum δεισιδαιμονεστέρους in Act. XVII v. 22 per omni modo superstitiosos vulgo vertitur; potius vero per *religiosiores* interpretandum esse puto.

Th. III.

Ut cuique ratione prædito nullum officium est sanctius, quam veritatem ubique obviam investigare; ita ministro verbi Divini nihil gravius est, quam veritates, quæ hominum maxime intersunt, probe cognoscere, cognitas sequi, et quæ varia sub dicendi ratione latent, detegere atque in aperto habere.

Th. IV.

Inter veritates Philosophiæ, ut ajunt, quæ doctoris Evangelici maxime intersunt, permagni momenti esse eas, quæ nomen Moralium ferunt, statuere haud dubito. Quæ autem veritates, licet ope rationis innotuerint, Revelatione tamen divina melius perspiciuntur, et ab hac, ut a vero et limpido suo fonte sunt hauriendæ atque demonstrandæ.

Th. V.

Nihil nobis possumus imaginari, nisi quod antea sensibus percepimus; nihil appetere possumus, nisi id, quod tamquam bonum animo concepimus; et nihil aversari possumus, nisi id, quod tamquam malum nobis representamus.

Theses,

quas

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro Examine Pastorali subeundo

p. p.

CAROLUS LINDEBLAD,

Pastor designatus,

d. III. Novembris MDCCCXXXII.

LUNDÆ,

Ex Officina BERLINGIANA,

MDCCCXXXII.

Th. I.

Quænam Orientis provincia ארץ עוץ, Job. 1: 1, intelligatur, inter Criticos Sacros non constat. Alii hac terra Idumæam significari, alii Vallem illam Damascenam, quæ Guta nominatur, contendunt. Quamvis utraque regio Jobi patria esse potuit, tamen plurimæ rationes & inter eas, quod Threnor. 4: 21 dicitur, suadere videntur, ut priorem sententiam posteriori præferamus.

Th. II.

In loco Paulino II Tim. 4: 17 interpretando *και ερρυσθην εκ ϛοματος λεοντος*, ita dissentiunt interpretes, ut nonnulli verum Leonem, nonnulli imperatorem Neronem, a cujus veluti faucibus Apostolus ereptus dicitur, cogitent. Etsi non temere a proprio & genuino vocabulorum sensu recedendum est, tamen hoc loco *το λεοντος* methaphorice adhibitum esse & horrendum illum tyrannum denotare, nulli dubitamus.

Th. III.

Theologia & Philologia Sacra tam arcto cohærent nexu, ut neque hæc sine illa, nec illa sine hac, commode possit tractari.

Th. IV.

Bene Lactantius in IV Instit. Lib. & Cap. III: ubi sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret; utrumque verum esse necesse est, quia & in colendo sapere debemus, i. e. scire, quid nobis & quomodo sit colendum, & in sapiendo colere, i. e. re & actu, quod scierimus, implere.

Th. V.

Callide & sapienter observavit Baco, Philosophos, dum tantum apparatum adversus mortem colligunt, ipsam magis timendam efficere.

Th. VI.

Quemadmodum Concionatoris Sacri multum interest, ut oratio illius sit perspicua, suavis atque gravis, ita eum parum decent histrionales modi & scenicus plane gestus.

Theses Collectaneæ,

quas

Consentiente sum. Ven. Ord. Theologor. Lund.

pro munere Rectoris obtinendo

publico judicio offert

OLAUS B. ROSENBLAD,

Phil. Mag. & Coll. Sch. Carolicoronensis a Sacris,

Respondente

VICTORE HUMBLA,

Blekingo.

In Lyceo Carolino die IX Martii MDCCCXXXIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Vir

Eminentissime ac Reverendissime

VILHELME FAXE,

S. S. Theol. Doctor,

Scaniæ et Blekingiæ Episcope,

Academiæ Carolinæ Pro-Cancellarie,

Scholarum Dioeceseos Ephore,

Regii Ordinis de stella Boreali

Commendator!

Grande Scanorum columen decusque!
Te colit patrem studiosa pubes
Nec crucis tædet tolerare pondus
Te duce patres.

Cuive patrono potius voverem
Deliæ qvidqvid dederat palæstræ
Delius nunqvam nimis otioso ad-
ponere lucro.

Cui, precor, ludum nisi qvi gubernas,
Summe *Mæcenas*, lepidum juventæ;
Cana *cui* mentem decorat fides et
Tempora cani.

Ipse maturus tegis hospitali
Stirpe florentes prope te stolones;
Sedulus nec qvæ dedit hortulanus
Munera spernis.

PRÆSES.

Theses collectaneæ.

Th. I.

Institutio puerilis, præsertim sensu latiori sumta, nostro qvidem judicio, ut primum pueri ad justum rationis usum pervenerint, ordienda est, intellectusque cum reliqvis animi dotibus qvam maturrime, sed sensim pedetentimque exercendus, qvo facilius gravissimis perfectioris hominis officiis satisfacere qveant.

Th. II.

Cum nemini dubium esse possit, qvin maxima ingenii in diversis sit diversitas, Scholisque propositum esse debeat, ut quæ in discipulis insint facultates qvam maxime perficiantur; non videtur consentaneum, in Scholis eadem omnibus tamque dissimilia discenda proponere. Initio fieri hoc potest, cum nondum exstet, qvo sua qvemque natura ducat, id qvod indicat major minorque vel etiam nulla, qvæ in discipulo reperitur, unam alteramve rem discendi cupiditas. Cum vero qvo ingenium inclinet probe cognoveris, erit rerum, qvas discet, dilectus adhibendus. Qvod si neglexeris, futurum est, ut bona rebus, a qvibus abhorret, studere coacti indoles exstinguatur et, qvod disciplina illius ne dicam tota vita respicit, in tenues auras evanescat.

Th. III.

In auctoribus interpretandis Magister discipulos ad primam cujusque vocis et propriam significationem atten-

tos faciat. Hinc illud redundabit commodi, qvod et memoriæ subvenitur et acuitur intelligendi prudentia, rite explicito, cur vocabulum a propria significatione in alienam, hac plerumque freqventius obviam, abire potuerit, et qvo utraque inter se nexu contineatur. Neque ad eruendam verborum vim parum confert diligens unde qvodque vocabulum originem ducat investigatio.

Th. IV.

Qui ad docendam artem antiqvorum metricam sese accingit, is animos discentium ad magnam illam, quæ inter *accentum* et *qvantitatem* intercedit, differentiam sedulo referat. Longe scilicet diversa hæc apud antiqvos erant elementa, qvorum accentus non nisi sublationem vel positionem vocis, sed qvantitas longius breviusque tempus ad syllabam pronuntiandam necessarium respexit. In lingvis autem plurimis hodiernis in unum ita coaluerunt, ut qvæ syllaba accentum habeat eadem semper sit longa; qvæ qvidem res apud veteres aliter sese habuit.

Th. V.

Si hodiernæ, ut vocantur, lingvæ, quæ tantum literarum thesaurum continent, non possunt, qvin ad animum hominum fingendum non minus qvam antiqvæ conducere habeantur, haud alienum videtur in ludis publicis pæne eandem illis atque his auctoritatem concedere. Quod in primis ad lingvam vernaculam pertinere judicem. Scholarum est Cives ad negotia *patriæ*, non Helladis Latiive, administranda idoneos reddere; horum vero multi exempli gratia Sacerdotes, Judices etc. si munere sibi

demandato recte fungentur, sermonem patrium pernoscant necesse est. Qvis præterea nescit, hujus qui imperiti sunt, qvantam humanissimo cuique indignationem moveant et risum, qvamque multi suam soli illius cognitioni fortunam auctoritatemque acceptam referant?

Th. VI.

Eruditarum, qvæ appellantur, lingvarum studium si respicias, in ipsis illud qvidem institutionis publicæ qvasi nervis inhæret. Qvod vero ut gravissimum est existimandum, ita viam hasce lingvas discendi commodiorem facere plurimum interest, et tempore, qvoad fieri potest, brevissimo præviam illarum scientiam discipulis suggerere. Jam diu usitatam memoriæ vocabula inculcandi rationem ad copiam verborum, quæ, si cognitio cujusdam lingvæ adqviri vel potius illius doctrina tradi poterit, accedat necesse est, colligendam ego quidem haud parum valere putaverim. Atqui potissimum velim, hanc vocabulorum silvam a discentibus inter legendum ita conqviri, ut verba incognita, literis mandata, ediscantur; qvo facto multum temporis, qvod est in lexicis indagandis adhibendum, ad utiliora discenda supererit atque ipse in re progressus præter opinionem accelerabitur. Nec mediocri fore usui crediderim, si, præcipua Etymologiæ parte memoriæ fideliter mandata, non nisi communia Syntaxis principia ex libro pueri didicerint. Quæ inter legendum occurrunt linguæ, qvæ docetur, *idiomata*, Magister diligenter explicet, exempla crebro repetens, qvippe quæ et memoriæ sint subsidio et cogitationi incitamento.

Th. VII.

Omnis institutio cum hominem ad formam perfectionis humanæ fingendum spectet, ipsa rei natura desiderat, ut pro suis cujusque viribus agendi constantia excitetur. Quæ si jam ab initio compressa fuerit, utilissima illa sui fiducia, sine qva nihil unqvam magni, nihil singulare effectum est, prorsus tolletur. Si igitur Magister mentem simul ac memoriam excolere studuerit idemque non in laudando qvam, cum decet, in corrigendo magis parcus fuerit, hoc, qvod qvidem difficillimum factu est, maxime conseqvetur.

Th. VIII.

In stilo Latino ad Scholas vulgo adhibetur liber, in qvo latine reddendis præmittitur regula adcommodanda et vocabula dicendiqve formulæ adjunguntur. Suum qvisque puer ejusmodi librum habet, id qvod mihi perqvam displicet. Hunc Magister solum habeat, ex eoque latine vertenda recitet. Verba difficiliora communicentur, regulam autem grammaticam, qva nitantur scribenda, pueri sine duce invenire adsvescant.

Th. IX.

Ut pater filium, sic Magister discipulum amplectatur, bonum se et facilem præbens. Attamen castigentur peccantes, sed leniter; nec nisi summa necessitate cogente et moribus in periculo versantibus *positivæ*, qvæ dicuntur, poenæ adhibeantur.

Theses,

quas

Affulgente Divina gratia

et

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi,

pro

Examine Pastorali

eruditorum censuræ modeste submittit

NICOLAUS M. GRÖNBERG,

Verb. Div. Min. et Past. design.

Die xxx Martii MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Vocabulum illud תּוֹרָה in Sacris Veteris Testamenti scriptis haud infrequens, pluribus locis, ubi in versione suecana redditum est: lag (lex), rectius verti: lära (doctrinam) contendimus.

Th. II.

De Messia, Jesu Nazareno, Scripta et Veteris Testamenti (ubi מָשִׁיחַ, יְהוָֹה, אֱלֹהִים, אֲדֹנָי, et pluribus aliis nominibus appellatur) et Novi Testamenti (ubi dicitur *Χριϛος*, *ὑιὸς του Θιου*, *ὑιὸς των ανθρωπων* etc.) ut de vero Deo, et hominum Servatore loquuntur.

Th. III.

Homini de vera felicitate sollicito, nihil, nisi vera in hominum Salvatorem fides, solatium perfectum et stabile afferre potest.

Th. IV.

Dictum illud *ὑμεῖς εϑανατωϑητε τω νομω δια του σωματος του χριϛου* Rom. VII: 4, non ita explicandum est, ut volunt nonnulli,

inter quos celeberrimus noster Oedmannus referendus esse videtur, qui tantum legem Judæorum cærimonialem spectari dicunt. *Νομος* enim hoc loco totam Dei complectitur legem, quatenus damnandi atque cogendi potestatem habet, et non, nisi ei, qui propriis suis operibus legi perfecte satisfecerit, justitiam tribuit; atque *σωμα του χριστου* innuit non tantum lucem, sed omnia, quæ Christus natura indutus humana pro nobis fecit et passus est.

Th. V.

Apostolum Paulum voce *Ανθρωπον*, quæ II Cor. XII: 2, legitur, se ipsum, non ut celeberrimus Oedmannus contendit, alium quendam hominem significasse, cur contendamus, ratio haud deest.

Th. VI.

Quo melius homo se ipsum noverit, eo dignius de Deo, eo mitius de aliis hominibus sentiat, necesse est.

Th. VII.

Dubitatio sæpe sapientiam parit, et negligentiæ anteponenda est.

I. N. J.

Theses,

quas

Affulgente Divina gratia

et

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro

Examine Pastorali

miti bonorum censuræ

modeste offert

CAROLUS FR. ELMLUND,

V. D. M.

Die XXIV Aprilis MDCCCXXXIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Vox Hebræa נָבִיא pluribus quidem Scripturæ Sacræ locis *vatem futura præsagientem*, nonnullis vero *alienæ mentis interpretem* indicat.

Th. II.

Voce Hebræa תּוֹרָה, latius sumta, non solum Mosis, sed simul aliorum Veteris Testamenti scriptorum libri comprehenduntur. Generatim itaque hæc vox Hebræa in *Veteri Testamento*, sicut Græca *νομος* passim in *Novo*, omnem doctrinam Judæis divinitus traditam significat.

Th. III.

Vocabulum עוֹלָם, sicut *Αιων* et *Αιωνιος*, in Bibliis Sacris frequens, non semper æternitatem proprie sic dictam, sed interdum non nisi longum temporis spatium innuit.

Th. IV.

Cum Jesus Matth. 12: 31, 32, dicit eorum, qui Eum miracula patrantem viderent, peccatum *in sanctum* (*per Eum agentem*) *spiritum*, vel *in divinam* (*qua agebat*) *vim* (*κατα του πνευματος του αγιου*) non remitti *ουτε εν τουτω τω αιωνι, ουτε εν τω μελλοντι*; ex his postremis verbis minime colligere licet Catholicorum doctrinam de Purgatorio, aut quorumdam nostri temporis Lutheranorum doctrinam de statu quodam intermedio, quem Hadem dicunt, veram esse.

Th. V.

In explicando Luc. 7: 47, non ea ponenda est Caussæ et Effectus ratio, quam exhibet Novi Test. versio Svecana, in qua amor caussa remissionis diserte dicitur, cum contrarium potius dicen-

dam sit, et Jesu verba, secundum Grammaticam et fidei analogiam, interpretanda: *ei multa peccata remissa sunt* (Caussa) *ideo multum amat* (Effectus); vel, ut paraphrasi utamur: *multa ejus peccata, (ob quæ eam spernis), ei a Deo jam remissa esse, ex eo, quod me tanto amore tantoque referendæ gratiæ studio prosequitur, intelligere potes.*

Th. VI.

Etsi concedamus solo versu 16:to Cap. 3, Ep. ad Tim. 2, non exhiberi Veteris Test. Theopneustiæ certum testimonium, contendere nulli dubitamus tale testimonium hoc citato versu et proxime præcedenti, conjunctim sumtis, contineri.

Th. VII.

Matth. 19: 24, ubi Jesus dicit: *ευκοπωτερον εϛι καμηλον* (*camelum*, vel, ut nonnulli vertunt, *funem nauticum*) *δια τρυπηματος ραφιδος διελθειν, η πλουσιον εις την βασιλειαν του Θεου εισελθειν*, non docet divites nullo pacto salvos evadere posse, sed tantum eos non nisi difficillime perduci, ut vera conversione amorem terrestrium bonorum relinquant, et se regni Dei (vel Gratiæ) veros cives reddi sinant.

Th. VIII.

Apostoli Pauli dictum 1 Cor. 1: 12, 13, collatum cum 1 Cor. 3: 4, sqq., tam diserte sectarum studium, vel fiduciam in hominibus positam, relicto ipso Domino nostro, dehortatur, ut, cur multi nostro quoque tempore credant se, assumtis nominibus et ritibus, a ceteris omnibus societatis Christianæ membris quasi disjungi debere, intelligere nequeam.

Th. IX.

Emendatio hominis et a rationis illuminatione et a voluntatis ad bonum revocatione proficisci debet. Unde sequitur ad improbanda concionandi genera referendum esse id, quo altera earum rerum negligitur, ita ut aut altiora tantum dogmata rationi proponantur, quo magna doctrina ostentetur, aut oratio adhibeatur, quæ sensus tantum moveat, et lacrimas eorum, qui audiunt, eliciat, quæ sæpe nec ad auditores edocendos, nec ad seriam meditationem commovendam valet.

Theses,

quas

Favente Deo

et

Consent. Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro

Examine Pastorali

miti bonorum censuræ

modeste offert

GUST. AD. MÖLLER,

V. D. M.

Die XV Maji MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXXXIII.

Th. I.

In Evangelio Johannis Cap. III vers. 19 particula *μαλλον* non vim comparationis sed oppositionis habere mihi videtur; verba tamen *ἠγαπησαν ὁι ἀνϑρωποι μαλλον το σκοτος, ἠ το φως* perbene, si placet, reddi possunt: dilexerunt homines tenebras potius quam lucem, imprimis quod ex sequenti versu patet homines lucem re vera odisse.

Th. II.

Non assentiri audemus sententiæ celeberrimi Schleusneri in Act. Ap. Cap. VIII vers. 22 particulam *αρα* per forte vertentis. Quæ particula, cum in loco laudato dubitationem quandam non involvat, potius, me judice, explanantis significationis est, ideoque per nempe vel scilicet vertatur.

Th. III.

Ex orationis serie colligere liceat, Ap. Paulum in Ep. ad Romanos Cap. IX vers. 10 libertatem gratiæ divinæ exemplo ab iisdem personis petito confirmare velle. Hinc vocabulum *ἑνός*, ut opinor, ejusdem denotet.

Th. IV.

Pronomen relativum *ἀυτήν* in Ep. ad Hebræos Cap. XII vers. 17 æque bene ad vocabulum *ἑυλογια*, quæ remotius distat, atque ad *μετανοια*, quæ propius adest, referri posse videtur. Quod si *μετανοιαν*, ut in versione nostra suecana, per bot (poenitentiam) reddere velis, ad remotius nomen potius pertinere crediderim.

Th. V.

Res complures vitio dantur Gregorio VII, hoc tamen boni in illo inerat, quod non severior et acerbior fuit in eum, qvem, a fide vulgari aberrantem, acriter adversarii oppugnabant.

Th. VI.

Ad hierarchiam stabiliendam idem Gregorius hæc tria præcipue spectavisse videtur, ut electio Pontificum ad clericos solos deferretur, investuræ jus adimeretur laicis atque coelibatus clericis imponeretur.

Th. VII.

Quam flebilis reipublicæ status sit, etiam in terris, quæ ceteroquin humanitatem præ se ferunt, ubi factiones politicæ et controversiæ religionis simul vigent, teterrimum præbet Gallia testimonium seculis XVI et XVII.

Th. VIII.

Ut vitium illud, in quod incidunt Fanatici, qui in sacris literis interpretandis omnia referunt ad vim atque lucem Spiritus Sancti internam, evitemus, diligenter videndum est, ne studia linguarum negligamus, nec a sensu discedamus verbali, nisi urgente vel orationis scopo vel analogia Scripturæ Sacræ.

I. N. J. C.

Theses,

quas

Jubente Regia Majestate

et

Affulgente gratia Divina

pro

Examine Pastorali

miti bonorum censuræ

modeste submittit

SEVERINUS SCHLYTER,

V. D. M.

Die v Junii MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Serie verborum quæsita, ad ipsa fundamenta fidei atque spei spectare vocabulum הַשָּׁתוֹת, quod Psalmo XI: vers. III. occurrit, dicere audeo.

Th. II.

Ubinam vero gentium fundamenta quædam fidei atque spei invenire poterimus, si Verbum Dei, litteris proditum, incertum, depravatum vel falsum habeamus?

Th. III.

Ex dictis Geneseos Cap. I: vers. XXVI, XXVII. Col. I: XV et Cap. III: vers. X. l. c. contendere non dubito, doctrinam de imagine Dei, culmen fidei morumque doctrinæ, maximique esse momenti.

Th. IV.

Legem illam regni Gratiæ primariam a Sanctissimo Servatore nostro promulgatam in Math. XIII: XII, neque esse obscuram, ne-

que Deo indignam, neque homini injustam, hæc facile argumentis firmantur.

Th. V.

Doctori hujus ævi Christiano, si ex jussu Paulino Tit. I: IX, gravi suo munere recte fungi velit, nihil sine dubio magis est necessarium, quam ut secundum præceptum Sanctissimi Servatoris nostri in Joh. V: XXXIX litteras Sacras diligenter, accurate pieque perscrutetur.

Theses,

quas

Affulgente Div. Gratia

et

Consentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lund.

pro

Examine Pastorali

modeste submittit

CAROLUS GUST. PALM,

V. D. M.

Die XII Junii MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Verba Pauli in epistola ad Romanos, Cap. 2: 16. ὅτε κρίνει ὁ θεός τά κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων etc. per parenthesin esse explicanda, celeberrimo Tholuck præeunte, lubentissime censeo; quoniam regulæ grammaticales docent, particulas δε, τε vel γαρ parenthesin aperte indicare, et hanc sententiam corroborare videntur. Confer epist. ad Hebr. Cap. 7: 20. et ad Rom. 1: 20.

Th. II.

In versiculo III:tio Capitis octavi ad Corinth. epistolæ II:dæ explicando forsan necesse sit addi verbum ἦσαν sive εγένοντο ad αὐθαίρετοι; nam exinde fit, ut ανακολουθον illud, quod alii hoc loco voluerunt, ex serie exemplorum ejusdem generis exstirpetur.

Th. III.

Non bene, me sentiente, explicat Schott verba Paulina 2 Cor. 13: 7. οὐχ ἵνα ἡμεῖς δοκίμοι φανῶμεν, ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς τό καλὸν ποιῆτε ne ego debeam (Jesu legatus) comprobari, sed ut etc. Potius dixerit Apostolus: Curæ soli cordique mihi est, ut vos fiatis boni, (Christiani), minimeque, ut de munere meo Apostolico gravissimo glorier.

Th. IV

De vocabulo ψυχή, quod occurrit in act. Apost. 2: 27. variæ sunt recentiorum sententiæ; sed illorum potissimum fovendam esse puto, qui *animum* per ψυχήν significari judicant. Vix enim exemplis vocabulum, quod novimus, nec pleonastice, nec periphrastice usurpari, vel cum pronomine personali conjunctum, satis probari potest.

Th. V.

Antequam sive ad supplicium condemnatos sive improbos, qui in carcere tenentur, aggrediuntur concionatores, quorum est et erudire et convincere miseros illos; certum quoddam, præsertim de illorum ingenio, moribus et educatione cognitum habere debent; quod quidem multo labore, semper severitate et commiseratione inter se conjunctis, acquirendum est.

I. N. J. C.

Theses,

quas,

Affulgente divina Gratia,

Consentiente Max. Ven. Consist. Eccles.

eruditorum censuræ

pro

Examine Pastorali

publice submittit

N. J. EKDAHL,

a Sacris, Corr. Regiæ Acad. Litt. Hum. Hist. & Antiquitatum etc.

Die XIV Junii MDCCCXXXIII.

In Aud. majori h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Verba הִנְנִי מְפַתֵּחַ פִּתֻּחָהּ נְאֻם יְהוָה in Zach. III: 9, non spectare: diuinam sed humanam Christi naturam, puto.

Th. II.

Eas perfectiones, quæ a Theologis ad obedientiam Christi activam annumerantur, non tam fuisse innatas quam acquisitas ex Luc. II: 52. Phil. II: 7, 8. & Ebr. IV: 15 patet.

Th. III.

Quapropter eos, qui Christum magis ut deum, quam hominem opus perfecisse redemtionis, præsumunt, maxime errare & quasi sibimetipsis recludere novam illam & vivam viam, de qua commemoratur in Hebr. X: 20, Contendo.

Th. IV

Vocabulum ἅδης, quod occurit in Luc. XVI: 23 & nonnullis alliis locis N. T. vertendum est orcus, ubi damnati æternis dantur suppliciis; non obstante Actor. II: 27, 31.

Th. V.

Si res ita se habet, non est dubitandum, celeberrimum illum Jung Stilling, in iis, quæ de ἅδῃ tradiderit, vehementer errasse.

Th. VI.

Cum hæc pestifera doctrina, nostris in terris, summo studio & amore ab hominibus cujuscumque conditionis & ætatis excipitur, maxime verbi ministris, ut pastoribus gregis Christianæ, enitendum, ne indies invalescat & majorem efficiat stragem quam ipse paganismus.

Th. VII.

Ceterum motus religiosi nostri temporis, præsertim per septemtrionalem Sveciæ partem & totam fere Norvegiam, potius, ut arbitror, tamquam reditus ad verum sincerumque Lutheranum Christianismum, quam ut schisma nocivum, sunt considerandi.

Th. VIII.

Quamquam a prioris sæculi pietismo hi motus commode recteque diriventur, tamen in resistendo erroribus Socinianorum tantam vim evolverunt, ut ne eos interdum in contrarium devenisse miremur.